





1617, 14

73.

15

DISSERTATIO

DE

USUCAPIONIBUS

ET PRÆSCRIPTIO-

NIBUS,

Quam

DUCE DEO

*Autoritate Ampliſſ. Jctorum Ordinis in Illuſtri
Salanâ.*

PRÆSIDE

EMMERICO Pfefferkorn/

Crucisburg. Tyrigeta,

Amice diſputationi ſubjiciet

JUSTINUS SCHUCHARDUS,

Gothanus Tyrigeta.

Ad diem 6. Septembr.



J E N Æ

TYPIS BEITHMANNIANIS,

ANNO clō 1ō cxvii.





AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS,
EXPERIENTISSIMIS, ET PRÆSTAN-
TISSIMIS VIRIS,

Dn. HIERONYMO MENIO

J. U. D. & Judicii Provincialis, quod est
JENÆ, Advocato celeberrimo:

Dn. JOHANNI HEINRICO KOL-

HANSIO J. U. Lto, nec non Municipii
Gothani Præfeto dignissimo:

Dn. GEORGIO Breithaupten / Quæstori
vff Dennenberg fidelissimo:

Dn. JOHANNI LATTERMANNO,

Ducum Sax. Gabellario in Erfurdia
diligentissimo:

Dn. VALENTINO KEILIO, Quæstori ad Arcem
Cranichsfeldensem Superiorem meritissimo:


*Dnn. Fautoribus & Promotoribus
suis multum colendis,*

Exercitatiunculam hanc Juridicam

*In debita observantia τεκμήριον,
Gratitudinis κερτήριον,
Studii incepti μαρτύριον,*

offert & dedicat.

RESPONDENS.



THESIS I.

V *Uscapio a est adjectio b domini c per continuationem possessionis d temporis lege definiti. e.*

a) Dicta ab eo, quod per usum aliquid capiat vel aufert. Usus enim rei seu possessio per lapsum temporis res corporales & incorporales priori domino adimit, & transfert in alium, *Wesemb. in parat. ff. b. t. n. 1. § 2. Myns. ad pr. Inst. hic.* sicut & præscriptio dicta est à præscribendo, hoc est, præfigendo vel præfiniendo, quasi temporis præfinitio. Legibus enim præfinitum est tempus, intra quod fieri debet repetitio rei à domino, sub pœna amissionis domini, *Balb. in tract. de præscript. p. 1. q. 2.* Et olim quidem magna erat inter præscriptionem & usucapionem differentia, *ut refert Donell. 5. com. 4. Treutl. 2. disp. 22. th. 1. lit. b. Dn. Pet. Theod. ad rubr. Inst. b. t.* hodie tamen illa partim ab Imperatore Justiniano sublata, partim præscriptioni communicata est, *l. un. C. de usucap. transform. l. un. C. de nudò Quirit. jur. toll.* ita, ut unus idemq; modus acquirendi usucapio & præscriptio, in primis verò pragmaticis, qui plus usui loquendi tribuendum, quàm strictè verborum proprietati inhærendum esse autumant, quos & nos jam imitabimur, licet non diffiteamur, aliquam adhuc superesse differentiam inter præscriptionem & usucapionem, *ceu docent Vult. 1. Jurispr. Rom. 71. Riemer. qq. jurid. dec. 5. q. 3. b) Cujac. in not. ad Ulp. fragm. tit. 19.* mavult cum Ulp. usucapionem dici ademptionem, quàm cum Modestino in *l. 3. b. t.* adjectionem, *quem sequitur Borch. ad rub. Inst. b. tit. nu. 14.* rectius verò definiri usucapionem adjectionem domini cum Modestino, quàm ab Ulp. ademptionem videtur *Ant.*

A 2

Cont.

Cont. 1. disp. 10. Forner. 2. select. 17. Wesenb. in parat. b. t. n. 3. Verum utraque lectio non erit absurda: adjectio ratione originis, sive ejus, qui amittit; adeptio ratione effectus, sive ejus, qui nanciscitur, Vult. 1. Jurispr. Rom. 71. Forst. 1. disp. Justin. 9. th. 3. Dn. Arum. exerc. Justin. 6. th. 2. c) Quia per ulucapionem dominium acquirimus, l. traditionib. C. de pact. l. 7. §. fin. ff. pro empt. l. 10. §. 2. ff. de acq. rer. dom. d) Verb. hic possessionis cum effectu, & ut fieri solet in definitionibus, propriè accipi debet de justa, plena, ac perfecta possessione, quæ & titulum habeat, hoc est, legitimam possidendi causam, sufficientem ad acquirendum dominium: & bonam fidem, ut qui possidet, credat se suo jure tanquam dominum possidere: nec sufficit unius diei possessio, sed continua per tempus lege definitum, Wesenb. ff. b. t. n. 5. e) quæ verba Modestini sunt l. 3. ff. b. t. Ant. Cont. d. loc. Forster. 1. disp. Justin. 9. thes. 4. Arum. exerc. Justin. 6. th. 2. non Triboniani, ceu perperam statuit Cujac. cum Cisner. ad d. l. 3. & Borcb. ad d. rub. Inst. b. t. n. fin.

Th. II.

Causa efficiens Usucapionis est vel procreans vel conservans. Procreans est lex 12. tabb. a conservans is, qui possidere, b & dominium jure civili acquirere potest. c.

a) Primum constituta in pr. Inst. hic. & variis postmodum PP. constitutionib. aucta, emendata ac confirmata, d. pr. l. ult. C. de prescript. long. temp. l. omnes. 4. C. de prescript. 30. vel 40. annor. l. un. C. de nud. jur. Quirit. toll. l. un. C. de usuc. transform. Wesenb. in parat. ff. hic n. 9. b) Quia sine possessione nulla procedit usucapio l. 25. ff. b. t. c. sine possessione 3. de reg. jur. in 6. c) Quales sunt liberi homines Imperio Rom. subjecti, ut paterfam. l. 4. §. usucapere. 1. ff. b. t. filiusfam. castrense vel quasi castr. peculium habens d. l. 4. §. 1. l. 2. ff. de SCto Maced. §. 1. Inst. per quas pers. cuiq; acquiri. Pupillus, qui & infantia major & pubertati proximior, etiam sine tutoris aucto-

auctoritate, modò animum possidendi habeat, usucapit
d. l. 4. §. pupillus. 2. l. 1. §. furiosus. 3. ff. de acquir. poss. Furiosus
 quoque, quod ante furorem possidere cœpit, usucapit *d. l. 4.*
§. furiosus. 3. l. nunquam 31. §. 4. l. iusto. 44. §. 6. ff. b. t. l. si is.
27. ff. de acquir. poss. Azo in sum. C. de Usucap. pro empt. nu. 4.
 Furore verò durante, ne quidem curatore auctore usuca-
 pionem incipere potest *d. l. 1. §. furiosus 3.* in quo dissimiles
 sunt furiosi infantibus, qui tutore auctore possessionem ad-
 quirere possunt, *d. l. 1. §. 3. l. 32. §. 2. ff. de acquir. poss.* illi verò
 ne sic quidem *l. 5. ff. de R. J.* Suppleri enim nequeunt, quæ
 omninò deficiunt, *arg. l. un. C. ut qua defunt advoc. Cujac. ad*
d. l. 4. §. 2. Haenon. disp. w. 10. th. 4. lit. c. Diss. Duar. ad d. l. 1.
§. 3. circ. fin. Non verò usucapere possunt *Σπίλιδες l. 17. §. 1.*
ff. de pœn. servi l. 118. ff. de R. J. l. 38. §. 7. ff. de V. O. Ignoran-
 tes *l. possideri. 3. §. 1. ff. de acquir. poss.* exceptò eò, quod per
 subjectas juri nostro personas res, quas peculiariter tenent,
 & possidemus & usucapimus ignorantes *d. l. possideri. 3. §. 12.*
l. 1. §. 5. ff. de acquir. poss. l. 8. ff. b. t. l. 2. §. 11. l. 7. §. fin. ff. pro
empt. Azo d. loc. nu. 4. Duar. ff. b. t. c. 8. in fin. per procurato-
 rem sanè licet ignorantibus possessio quærat, usucapio tamen
 non nisi scienti competit *l. 47. ff. b. t. l. 49. §. fin. ff. de adq.*
poss. l. 1. C. eod.

Th. III.

Materia sunt res omnes a, modò non sint vi-
ciosæ, ut furtivæ b, vi possessæ c, res præfidi con-
tra L. Julian. repetund. datæ d: commercio homi-
num exemptæ, ut res sacræ, religiosæ, sanctæ, liber
homo e: nec aliàs prohibitæ, ut res pupillares f, mi-
norum g, meræ facultatis h, dotales i, publicæ k,
testam. alienari prohibitæ l, res fisci m, filiusfam. ad-
ventitiæ n, nec ejus, qui legitimè impeditur o.

a) Sive mobiles sive immobiles, *pr. Inst. hic. Ulp. in fragm.*
tir. 19. §. 7. ibiq. Cujac. l. un. C. de usucap. transform. l. 3. l. 9. ff. de

A 3

div. &

div. & temp. præscript. imò & incorporales, quæ in jure constunt, ut sunt servitutes & actiones *t. t. Inst. de reb. corp. & incorp. de quibus infr. thes. 7. lit. g. b)* ex L. Attilia §. *furtiva. 2. Instit. h. tit. l. 4. §. 6. l. 33. in pr. ff. eod. nec quempiam juvare potest, quod ejusmodi res bon. fid. possederit, cum ubi lex usucapionem inhihet, neque bona fides, neque justus titulus quidquam operetur l. 24. in pr. ff. h. t. Dn. Petr. Theodor. ad dict. §. furtiva. 2. c) dict. §. furtiva. 2. d. l. 4. §. 22. & seqq. l. 33. §. 2. ff. h. c.*

Ut autem res vi possessa dicatur, non sufficit possessorem dejectum esse, sed opus insuper est, ut qui dejecit, idem & possessionem occupaverit *dict. l. 4. §. 22. l. 1. §. 28. ff. de vi & vi armat.* Cæteroquin nihil interest, bonæ an malæ fidei possessor sit, qui dejectus est, *d. l. 4. §. 23. d) l. 8. ff. ad L. Jul. repet. Donell. 5. comm. 24.* Et hæc hætenus obtinent, nisi viciu[m] rei furtivæ, vi possessæ, aut contra *Legem Julian. repet. Præfidi datæ purgatum sit, leg. fin. ff. h. tit.* quod fit, si res ejusmodi in potestatem domini redierit, §. *aliquando. Institut. h. c. l. 4. §. 12. ff. eodem.* e) §. *sed aliquando. 1. Instit. h. tit. l. 9. ff. eodem. Wesenbec. in parat. ff. h. c. num. 10.* A quibus enim rebus acquisitio in genere removetur, ab iisdem species quoque singulas removeri necessum est, *Anton. Matth. in not. ad dict. §. sed aliquando 1. adeò, ut hujusmodi res, quæ possideri & præscribi prohibentur, quia non sunt in commercio hominum, etiam 100. aut 1000. annis non præscribantur, ut est gl. in l. 2. in verb. ancilla. C. de ingen. manum. & in l. fin. ubi Salicet. C. de præscript. long. temp. Schneidew. Instit. h. tit. de reb. quæ præscribi poss. num. 60.* f) Contra pupillos quippe nec incipit præscriptio, nec antè contra defunctum fortè incepta continuatur; sed durante ætate, omnis præscriptio dormit atque cessat, *l. 10. ubi Gothofred. ff. quemadmod. serv. amitt. l. 48. ff. de adquir. rer. dom. etiam tricennalis l. 3. vers. sed pupillari. Cod. de præscript. 30. annor. Goëd. ad l. alienationis. 28. num. 18. ff. de V. S. Wesenbec. in parat. ff. h. tit. num. 14.* Finitâ verò pupillari ætate posteriora tempora cum prioribus continuantur, *Vultejus 1. Jurispr.*

Jurispr. Roman. 71. Treutler. 2. disputat. 22. thes. 3. lit. g. non tamen idè res pupillares usucapi nequeunt, quod alienari non possint, *ut censet contra l. 1. ff. de reb. eor. qui sub tutel. Cisner. in l. 4. §. 11. ff. b. tit.* Sed propter specialem legis prohibitionem, quæ favore ætatis usucapionem in rebus hinc admittere noluit, *dict. l. 3. vers. sed pupillari. g.)* Supra pubertatem, contra quam tantum præscriptio XXX. Annorum currit, *l. sicut 3. Cod. de præscript. 30. annor. l. 3. C. quibus non objic. long. temp.* non etiam alia minor *l. final. Cod. in quibus caus. in integr.* quanquam contra aliam, inchoata erga minorem continuetur, *Doctores in dict. l. fin. Wesenbec. dict. loc. Vultejus 1. Jurispr. Roman. 71. Treutler. 2. disput. 22. thes. 3. lit. b. Dn. Ortolph. Foman. ad l. unic. Cod. si advers. usucap. b.) l. 2. ff. de via public. & itin. nisi interveniat præscribentis prohibitio, subsecutâ patientiâ illius, contra quem præscribitur, per tempus ad præscriptionem sufficiens, gloss. in l. qui. 11. ff. de serv. urb. præd. & in l. 1. Cod. de servit. & aqua, Treutler. 2. disput. 22. thes. 3. lit. 1.* Unde si homines & subditi alicujus domini longissimo tempore iverint ad molendinum domini, non possunt in futurum compelli, ut ibi molant, quia in his, quæ sunt meræ facultatis, non inducitur consuetudo, neque præscriptio, *Cyn. in dict. l. 1. & in l. 2. C. quæ sit long. consuetud.* Si verò alibi volentes molere dominus prohibuerit, & ipsi prohibitioni per legitimum tempus acquieverint, alibi in posterum molere nequeant, & tunc ejusmodi molendina Zwangmühlen nominantur, *Schneidewin. part. 2. feud. num. 53. & 54.* Item præscribitur rebus meræ facultatis, si facultas hæc non ex mera facultate, sed ex jure pendeat, ut si quis actu, stillicidio, luminibus 10. annorum inter præsentem, 20. inter absentes usus non fuerit, jus suum amittit, quæsitâ vicino libertate, *l. 4. §. fin. ff. b. tit. l. 10. l. pen. ff. de serv. & aqua. Hen. disp. w. 10. th. 7. lit. b. i.) l. 4. l. 16. ff. de fund. dot. nisi inchoata sit præscriptio, antequam dotales fierent, d. l. 16. l. 30. §. fin. C. de jure dot. Cujacius 14. observ. 9. k.) l. 9. ff. hic. l. 34. §. 1. ff. de contrah. empt. l.) l. si duob. 3. §. fin. autem. 3. C. commun. de legat. l. si contra. 2. C. de usucap. pro empt.*

*empt. m) §. res fisci. Inst. hic. l. 18. l. 28. ff. eod. l. 2. com. de usu-
 cap. non quod alienari nequeant, ut voluit Mynsing. in dict.
 §. res. fisc. nu. 4. contra l. 5. ff. de jur. fisc. l. 72. §. 1. ff. de contrab.
 empt. sed quia iniquum videbatur, usucapionem adversus fi-
 scum valere, cujus hujus copiis & belli & pacis adjumenta
 Reipub. comparantur, Connan. 3. comm. 15. nu. 5. n) l. 1. §. 2.
 circ. med. C. de annal. except. auth. nisi C. de bon. matern. l. qua-
 cunq; 4. in fin. C. de bon. qua lib. Donell. 5. com. 25. Treutl. 2.
 disput. 22. th. 3. lit. o. o) d. l. 1. §. ult. Etenim impedimento
 ejusmodi durante dormit usucapio, c. ex transmissa. extr. de
 præscript. adeò, ut cum effectu iis non possit objici præscriptio,
 qui restitui in integram possunt, ut sunt milites tempore bel-
 li l. 1. l. 6. l. 8. C. quib. non objic. long. temp. Absentes Reip. cau-
 sa l. 2. l. 4. C. eod. Capti ab hostibus d. l. 6. C. eod. furentes &
 prodigi, Bart. in l. 1. §. si quis. ff. de itin. act. priv. Treutl. 2. disp.
 22. th. 3. lit. p. Impedimento verò sublato tempora continuantur,
 l. 3. l. 7. C. de præscript. 30. annor. modò actio jam nata sit,
 aliàs si impedimentum incurrat, antequam nascatur, haud
 quidem dormit præscriptio, sed non incipit currere, juxta
 tritum illud: non valenti agere nulla currit præscriptio, l. 1.
 §. ult. C. de annal. except. Wesf. d. loc. n. 14.*

Th. IV.

*Forma consistit in possessione a continua b ci-
 vili c non naturali d. Deinde in justo titulo e, eo-
 que generali f vel speciali g.*

*a) Quà deficiente deficit ipsa præscriptio, cum sit ejus-
 dem caput ac fundamentum, juxta vulgatum illud: tantum
 præscriptum, quantum possessum l. 1. §. si quis. ff. de itin. act. priv.
 Unde præscriptâ servitute pascendi 100. oves in fundo
 alieno, auctò ovium numero, non ideò augetur servitus, ar-
 gum. d. l. 1. §. Julianus. ibiq; gl. Bart. & Dd. communiter. l. 12. C.
 de servit. Schneidw. Inst. de serv. rust. præd. nu. 31. Requiritur
 autem possessio ejusmodi, quam possessor sciat se suò no-
 mine propriò habere, quod in dubio præsumitur, nisi con-
 trarium*

trarium probetur, *Treutl. 2. disp. 15. tb. 5. lit. a.* aliàs si alienò
possideat nomine, nihil usucapit *l. 2. C. de præscript. 30. vel 40.*
annor. ut nec si per alium possideat, veluti per procuratorem,
nisi se possidere habeat compertum, quia ut ignorantes usu-
capiamus, in peculiaribus rebus tantùm receptum est, *ut di-*
ctum supr. tb. 2. lit. d. Wesenb. in parat. ff. b. t. num. 11. b) l. 3.
l. 31. §. 1. b. t. Continuari autem censetur non modò, si apud
unum eundemq; semper manserit possessio; Verùm etiam, si
ab uno ad alium legitimè translata fuerit. Hinc inspectò
initiò res ab alio præscribi cœpta successorì tam universali,
ut heredi, quàm singulari, ut legatario, emptori, donatario
& similibus prodest, *l. 20. l. 31. ff. b. tit. l. 23. ff. de acquir. poss.*
Vult. 1. Jurisp. Rom. 71. etiamsi in mala fide sit l. 2. §. 17. ff.
pro empt. §. diutina. 7. Inst. b. t. cum non ratio obtinendæ
possessiois, sed origo nanciscendæ exquiratur, l. clam possi-
dere 6 ff. de acquir. poss. Borch. ad d. §. diutina. 7. n. 4. Si verò
defunctus initium justum non habuerit, heredi etiam igno-
ranti nihil prodest, *d. §. diutina. 7. l. 11. ff. de acq. poss. Fachin. 8.*
contr. 27. & 1. contr. 66. at successorì singulari mala fides au-
ctoris tunc non nocet, si uti nolit accessione temporis illius:
Si verò ipse m. fid. possideat, bon. fid. auctoris ipsi nihil pro-
dest, *l. 32. §. 1. ff. de serv. urb. præd. l. 14. ff. hic. Treutl. 2. disp. 22.*
tb. 5. lit. b. Continuatio autem possessionis præsumitur, si
extrema probentur, *c. inter dilectos extr. de fid. instrument. l.*
five 16. C. de probat. Vulg. Dd. in l. Celsus 27. ff. b. t. Schneidw.
Inst. b. t. de requisit. præscript. num. 60. cum trib. seqq. c) quæ
in jure consistit cum animo & affectione domini, & sola ad
præscribendum sufficit, d. l. Celsus l. 1. §. per servum 14. ff. de
acquir. poss. l. nemo. 10. C. eod. Bart. & Jason in d. l. clam posside-
re. 6. §. 1. d) quæ saltem est detentio rei citra jus & affectio-
nem domini, atque sola non sufficit l. naturaliter 12. ff. de ad-
quirend. poss. leg. pen. C. de præscript. 30. annor. Schneidw. dict.
loc. nu. 59. e) qui est justa ac legitima causa, quâ possessio ad
aliquem transfertur, l. 2. ff. pro emptore. l. 1. C. pro donat. l. ex
causa. C. de Usucap. pro empt. estque eò, exceptâ temporis im-
memorialis præscriptione, Forster. 1. disp. Justin. 9. tb. 8. ex
jure novissimo in omni præscriptionis genere opus, l. nullo.

B

C. de

C. de rei vindic. l. fin. C. de præscript. long. temp. l. un. C. de Usucap. transform. Vult. 1. Jurispr. Rom. 71. Diff. Schneidw. Instit. h. tit. de specieb. præscript. n. 12. nec præsumitur, Fachin. 8. contr. 30. Diff. Vasquius 2. contr. illustr. 61. f) qui dicitur pro suo, atque ad omnes possessionis acquirendæ species accommodari potest, cui titulo tum demum locus est, quando titulus possessionis acquisitæ certum & speciale nomen non habet, ut puta si heres rem aliquam, cum legata non esset, haud aliter tamen atque si legata esset, ignorans accipienti b. f. tradat, l. 1. l. 2. l. 3. ff. pro suo. l. 3. §. fin. ff. de acquir. & amitt. poss. l. naturaliter. §. l. Celsus. 27. ff. b. t. Vult. 1. Jurispr. Rom. 71. g) qui nomen habet certum, ut si quis possideat pro emptore, pro donato, pro soluto, pro herede vel possessore, pro legato, pro dote, pro transactione, pro derelicto, l. possideri. 3. §. genera. ff. b. t. arg. dd. tt.

Th. V.

Tertiò in bona fide, quæ est illa rei alienæ scientia a, & sufficit eam ab initio adfuisse b, licet postea mala fides supervenerit c. Præsumitur autem bona fides, donec contrarium probetur. d.

a) Ut scil. credat possessor, eum, à quo habet titulum, fuisse dominum, & habuisse jus distrahendi aut alienandi, l. bonæ fidei. 109. ff. de V. S. aut saltem credat se usucapere posse, l. si fur. 32. §. 1. ff. hic. Wesenb. in parat. ff. b. t. nu. 11. Dubitans igitur, ut b. f. possessor non præscribit, Dn. Arumæ. exerc. Justin. 6. thes. 5. Diff. Treutl. 2. disput. 22. th. 6. lit. c. Rober. disput. Justin. 9. th. 6. ut nec, qui in jure errat, licet bonam fidem habeat d. l. si fur. 32. §. si quis. ff. b. t. Dn. Arumæ. exerc. Justin. 6. th. 6. Borch. ad §. error. 6. n. 2. Inst. hic. b) tempore sc. traditionis d. §. diutina. 7. l. si aliena. ff. b. t. exceptò contractu emptionis venditionis, in quo b. f. exigitur duobus temporibus, contractus scil. & subsequenti traditionis, l. 3. ff. pro solut. l. 2. §. si eam. ff. pro empt. l. 7. §. fin. ff. de

ff. de pub. in rem act. Ratio differentiæ ea esse videtur, quod heres & defunctus censeantur una eademq; persona, & ideò sufficiat defuncti bona fides, emptoris verò & venditoris personæ sint diversæ, nec pro una habeantur, *Schneidw. alleg. loc. nu. 55. Dn. P. Theod. ad d. §. diutina. 7. c) l. 2. in pr. ff. pro empt. l. 48. §. 1. ff. de acquirend. rer. dom. cujus hæc ratio, quod usucapio sit jus continuum, & continuum requirat factum aliquod, possessionem sc. l. 3. ff. b. t. quæ si semel b. f. cœpit, postea usucapionis jus non mutat, quia nec ipsa mutatur, l. 19. §. 1. ff. de acquirend. & amitt. poss. Gæd. in l. 109. num. 12. ff. de V. S. Donell. 5. com. 16. ubi Dn. Hillig. in not. lit. c. Dn. P. Theod. ad d. §. diutina. 7.* Imò in præscriptione longissimi temporis 30. vel 40. annorum bona fides non requiritur, sed sufficit cum possessione solus cursus 30. vel 40. annorum, *per l. ult. C. unde vi. Schneidw. Inst. h. t. de requisit. præscrip. nu. 19. & Vult. 1. Jurispr. Rom. 71.* Diversum obtinet de jure can. quod quoque jure receptum est, *ceu testantur Mynsing. 4. observ. 6. Geil. 2. observ. 18. num. 7.* Eo enim jure in omni præscriptione, etiam immemoriali, *Fachin. 1. controvers. 64. Treutl. 2. disput. 22. th. 6. lit. c.* mala fides quocunq; tempore ante completam usucapionem superveniens eam impedit, *c. fin. extr. de præscript. c. possessor. de reg. jur. in 6. d) l. verius 21. ff. de probat. l. pen. ff. de Eviçt. c. fin. extr. de præsumpt. Dyn. in c. qui contra de reg. jur. in 6. num. 5. idque & usus fori Sax. sequitur, Nov. Elect. Aug. p. 2. const. 3. Wes. in parat. ff. b. tit. num. 11. Schneidw. dict. loc. nu. 21. & seqq. aliquot.*

Th. VI.

Denique in legitimo tempore a, pro cujus diversitate legibus definita diverse quoque præscriptionum species reperiuntur. Alia quippe est annalis b alia biennalis c, triennalis d, quadriennalis e,

B 2

quin-

quinquennalis f, decennalis g, vicennalis h, tricennalis i, quadragenalis k, & centenalis sive immemorialis. l.

a) Cujus computatio civilis est, non naturalis, siquidem responsum est, in usucapionib. non à momento ad momentum, sed totum postremum diem computari, *l. in usucapionib. 6. ff. b. t.* & si in minimo momento novissimi diei possessa res sit, repletur usucapio, nec totus dies exigitur ad explendum constitutum tempus, *l. pen. in pr. ff. de div. & temp. præscript. Borch. ad pr. Inst. b. t. nu. fin.* b) quæ olim erat rerum mobilium quarumvis, *pr. Inst. hic.* anni quoque spacio præscribitur actio injuriarum verbalis, quæ ex edicto prætoris descendit, *l. si non. 9. C. de injur.* & hic annus à die illatæ injuriæ, non à die scientiæ computatur, hoc est, non utilis, sed continuus est, quia in jure tempus semper continuum esse intelligitur, quando utile non exprimitur, *per text. in l. genero. ff. de his, qui not. infam. Schneidw. ad §. 8. Inst. de injur. nu. 2. Treutl. 2. disp. 22. th. 4. lit. d. Diss. Geil. 2. obs. 105.* Actio verò injuriarum realis ex L. Cornelia descendens perpetua est, cum actiones ex lege introductæ perpetuæ sint, *pr. Instit. de perpet. & temp. act. Myns. 1. obs. 84. Fachin. 9. contr. 7. Diss. Azo in sum. C. de injur. nu. 17. Gomez. 1. var. resolut. 6.* Item annò præscribitur actio Pauliana *l. 1. §. t. t. ff. quæ in fraud. credit.* c) quæ olim rerum immobilium Italici soli, *l. un. C. de Usucap. transform.* item biennio præscribuntur actio de dolo *l. fin. C. de dolo malo.* & exceptio non numeratæ pecuniæ, *pr. Inst. de lit. oblig. l. in contractu. C. de non num. pec.* etiamsi debitor bienniò elapsò onus probandi in se suscipere velit, *Zang. de except. p. 3. c. 12. n. 34. Fachin. 2. contr. 81. Rober. disp. Justin. 15. coroll. 2. Dn. Arum. exerc. Justin. 12. th. 12. Diss. Dec. in l. jure natura. ff. de R. J. Dyn. in c. locupletari. de R. J. in 6. & Canonistæ in c. fin. extr. de solut. quorum sententia communis & usu recepta, Schneid. ad d. tit. Inst. de lit. Oblig. n. 11. Zang. d. loc. d.) quæ res hodie mobiles & seculares & Ecclesiasticæ usucapiuntur, *pr. Inst. hic aut b. quas actiones. C. de S. S. Ecclesiis. Dyn. in c. possessor. de R. J. in 6. n. 18. Schneidw. Inst. hic. de speciebus. præscript.**

prescript. n. 1. e) quâ præscribitur res fisci à privato, & vicissim
res privata à fisco, quando sc. bona vacantia fisco denun-
ciata sunt, ipse verò eadem occupare negligit, *l. 3. § tt. C.*
de quadr. prescript. Schneidw. d. loc. n. 41. Vult. 1. Jurispr. Rom.
71. f) quâ finitur querela inoff. testam. *l. contra 16. l. 34. C.*
de inoff. testam. quinquennium istud ab adita hereditate com-
putando *d. l. 34. in fin. l. scimus. 36. in fin. § ibi Wesenb. in parat.*
n. 11. C. d. t. non verò jus agendi ad supplementum legitimæ,
quod demùm annis 30. præscribitur, *Myns. 2. obs. 72. Geil. 2. obs.*
120, n. 7. Treutl. 1. disp. 13. th. 12. lit. d. Niell. disp. feud. 5. th. pen.
lit. a. Diff. Bart. in d. l. 34. n. 3. Extinguuntur quoq; quin-
quennio quæstiones de statu defunctorum *t. t. ff. § C. ne de*
stat. defunct. post quinq. accusatio adulterii l. quinquennium.
31. ff. ad L. Jul. de adult. l. adulter. 5. C. eod. & alia crimina ex
L. Julia peculatus, l. peculatus. ff. ad L. Jul. peculat. & Scto
Sylaniano l. in cognitione 13. ff. ad Sctum Sylan. g) quâ res im-
mobiles præscribuntur inter præsentem, *pr. l. hic. l. 9. l. pen. §*
ult. C. de prescript. long. temp. sive res in eadem provincia sint,
sive in vicina, vel trans mare positæ, aut longo spacio sepa-
ratæ *d. l. ult.* Præsentiam autem hîc æstimamus ex domicilio
in eadem provincia constituto: item provinciam dicimus
eandem, quæ uni subest præfidi, licet plures contineat civi-
tates *d. l. fin. Schneid. d. loc. nu. 4. Borcb. ad. pr. Inst. h. t. n. 21.*
Si verò quis aliquot annos præsens, aliquot absens fuerit, ad-
jiciuntur completo decennio tot anni, quot ex decennio ab-
sens fuerit, *aut b. quod si quis. C. de prescript. long. temp. Nov. 119.*
c. 8. Schneidw. alleg. loc. n. 6. b) quâ res immobiles præscribun-
tur contra absentes, *dd. ll.* Absentes autem accipiuntur, qui
in diversis territoriis habitant, licet res præscribenda sit in
uno *d. l. fin.* item exemplo rerum immobilium etiam res in-
corporales, quæ in jure consistunt, inter præsentem decenna-
li, inter absentes vicenniali præscriptione acquiruntur, vel-
uti ususfructus & cæteræ servitutes, *d. l. fin. vers. eodem obser-*
vando. l. 2. § pen. C. de servit. cum iis annumerentur l. 13. ubi
Gothofr. § l. 14. C. eod. & quasi possideantur l. 10. ff. si serv.
vindic. rejectâ distinctione inter continuas & discontinuas,
Wesenb. in parat. ff. de servit. nu. 5. § seqq. Costal. in dict. l. 14.

Donell. 11. com. 11. Treutl. 2. disp. 22. th. 2. lit. f. Diff. Bart. in
l. 2. C. de servit. & aqua. Cæpoll. in tract. de servit. cap. 19. Coler.
dec. 20. num. 5. Vicennali porrò præscriptioni subjacent
omnes quæstiones fiscales, l. varia. 1. §. pen. & ult. ff. de jure
fisc. actiones reales l. 3. C. de his, quæ vi metusve caus. l. heredi-
tatis. 7. C. de petit. hered. Vult. 1. Jurispr. Rom. 70. nec non cri-
minales ferè omnes, præter superius exceptas, adeò ut
& fisco & Magistratui ex officio vel per inquisitionem pro-
cedere volenti obstet, l. querela. ubi Bart. & Bald. C. ad L.
Cornel. de fals. Schneidw. dict. loc. n. 44. cum aliquot seqq. Gæd.
ad l. 131. §. 1. num. 10. ff. de V. S. Dn. Petr. Theod. disput.
crimin. 10. th. 7. lit. d. i) quæ longissimi temporis dicitur,
juri Digestorum incognita, gl. in l. qui occidit. 30. ff. ad L.
Aquil. at jure Cod. prodita l. 8. & t. t. C. de præscript. 30. vel
40. annor. quæ præscribuntur res mobiles & immobiles, nec
non omnes actiones in personam civiles, quæ angustiore
tempore non reperiuntur terminatæ l. 3. l. 4. & passim. C. d. t.
ut & mixtæ l. 1. C. de annal. except. Vult. d. loc. res præterea
minorum d. l. 3. l. sancimus. C. quib. non objic. long. temp. præ-
script. ut & annuæ ac mensuræ præstationes præteritæ non
futuræ huic præscriptioni subjacent, Mynsing. 3. obs. 13. Geil.
2. observ. 73. Diff. Schneidw. d. loc. n. 14. & ibi Wesenbec. in not.
lit. c. per Nov. Elect. Aug. p. 2. const. 2. item res furtivæ & vi
creptæ ab alio quàm fure aut raptore possessæ, argum. §. fur-
tiva. 2. Inst. h. t. l. si quis. 8. §. 1. ff. de præscript. 30. annor. aliàs
si ipse fur aut raptor rem detinet, non obstante hoc tempo-
re licebit priori possessori sine ulla distinctione eam vindi-
care d. l. si quis 8. §. 2. nisi ipse injustus possessor 30. vel 40.
annorum, ex eo tempore computandorum, ex quo prior
possessor, qui evicit, eâ possessione cecidit, exceptione mu-
nitus sit, d. l. si quis 8. §. 1. in fin. Diff. Schneid. d. loc. n. 12. Ex-
cipiuntur ab hac tricennali præscriptione jus luendi pigno-
ris leg. si rem. §. omnis. ff. de pignor. action. Mynsing. 1. observ.
16. Geil. 2. observat. 18. Fachin. 2. contro. 13. Rober. disputat.
Justin. 9. Corollar. 1. Dn. Domin. Arumaus exerc. Justin. 6.
thes. 9. ut & pactum de retrovendendo, Mynsing. Geil. Fa-
chin. dd. loc. Borcholt in tractat. de Usur. cap. 6. nu. 18. Rober.
dict.

dict. disput. 9. Coroll. 2. Dissent. Covarruv. 1. var. resolut. 9. Wes-
senb. in parat. ff. de rescind. vendit. Bronchorst. 2. ass. 62. k) quâ
præscribuntur res Ecclesiasticæ, auth. quas actiones. C. de S. S.
Ecclesiis. c. de quarta. c. ad aures. extr. b. t. item, quæ Ecclesiis
æquiparantur, ut hospitalia, pauperibus & miserabilibus per-
sonis donata, aut debita & similia, Canonista d. d. cc. Tiraq. in
tr. de priv. piæcauss. priv. 139. Treutl. 2. disp. 22. tb. 2. lit. l. Utimur
præterea hæc præscriptione adversus fiscum l. omnes. ibi: pu-
blicum. C. de præscr. 30. vel 40. annor. etiam in terris Sax. gl. in
art. 29. sub lit. b. lib. 1. Sandr. Beust. ad l. admonendi. n. 870. p. 579.
ff. de jurejur. Schneid. d. l. n. 41. Dn. P. Theod. ad S. fin. Inst. b. r.
l) quâ præscribuntur res Romanæ Ecclesiæ dict. auth. quas
actiones. Nov. 9. item regalia seu jura, Reg. vel Imper. in si-
gnum supremæ eminentiæ ad conservandam Regni vel Im-
perii dignitatem & utilitatem concessa, Mynsing. observ. 30.
Schneid. part. 1. feud. n. 4. Schon. 1. disp. feud. 4. thes. 15. nec
in illa immemoriali regalium præscriptione Principis aut
Regis scientia opus est, gl. & Ang. in l. hoc jure. §. ductus
aqua. ff. de aqua quotid. & astiv. Mynsing. dict. observat. 30. Vul-
tejus 1. f. 9. num. 21. Schon. d. disput. feud. 4. thes. 16. non ta-
men præscribuntur, quæ Principi in signum subjectionis, su-
perioritatis, & universitatis domini reservata sunt, cujusmo-
di sunt tributum, census, obedientia debita, plenitudo po-
testatis, & supremæ jurisdictiones l. sæpenumerò. C. ne rei domi-
nica. c. cum inter. extr. de consuetud. Geil. 1. observ. 21. num. 16.
Treutl. 1. disp. 3. tb. 7. lit. c. in fin. Schon. d. disp. feud. 4. tb. 17. Et hæc-
tenus de speciebus præscriptionum juris civilis: Jus Sax. quod
spectat, illud duas saltem agnoscit præscriptionum species,
annalem & tricennalem. Annalis est unius anni, sex septima-
narum & trium dierum, quâ usucapiuntur res mobiles, art. 28.
libr. 1. Sandrecht. & artic. 44. in pr. lib. 2. Sandrecht. nec non
utensilia, res expeditoriæ & victualia, argum. d. art. 28. item
actio injuriarum, art. 31. circ. fin. libr. 3. Sandrecht. Tricennalis
est annorum 30. & unius, sex septimanarum cum tribus die-
bus, & respicit res immobiles, text. in art. 29. libr. 1. Sandrecht.
& gl. Weichbilds artic. 4. sup. verb. Jahr vnd Tag. Usu etiam
hæc præscriptionis species ad jura extenditur incorporalia,
veluti servitutes & actiones, Schurff. consil. 69. nu. 1. cent. 1.

NON

non item causas Ecclesiæ, Xenodochiorum & locorum
piorum, in quibus non Jus Sax. sed civile obtinet, *Coler. dec.*
20. n. 7. Elect. Aug. p. 2. const. 5. obtinet tamen Jus Sax. in præ-
scriptione adversus Rempub. *d. p. 2. const. 6. vid. Coler. d. de-*
cis. 20. Schneidw. d. loc. nu. 53. Treutl. 2. disp. 22. tb. 4. in fin. Dn.
P. Theodor. in calc. tit. Inst. hic.

Th. VII.

Finis usucapionum est bonum publicum a: Ef-
fectus dominium b, exceptio litis finitæ c, solutio
obligationis d: Contraria usucapioni est ejus ceptæ
interpellatio e, sive naturalis f ea sit, sive civi-
lis. g.

a) Ut dominiorum incertitudo evitetur *l. ff. hic. litium*
tollatur immortalitas l. ult. ff. pro suo. nec possessores amit-
tendarum rerum metu perpetuò torqueantur, l. 7. in pr. C.
de præscript. 30. annor. Unde patet, præscriptionem juri &
æquitati naturali non esse contrariam, cum nihil sit, quo
magis ipsa æquitas delectetur, quàm si dominiorum certi-
tudo constituatur, confusio omnino tollatur, lites præcidan-
tur, negligentes poenâ, industrii præmiò afficiantur, *Bronch.*
4. ass. 2. Schneid. ad tit. Inst. hic. n. 11. Treutl. 2. disp. 12. tb. fin.
lit. a. Rober. disp. Justin. 9. tb. 1. Dn. Aru. exerc. Just. 6. thes. 1.
Diss. Borch. ad pr. Inst. hic. n. 2. Quirin. Kubach. cent. 2. dec. 6.
quest. 1. b) Plenum & absolutum l. 3. ff. h. tit. l. 20. C. de pact.
l. 20. ff. ex quibus causis major. Wesenb. in parat. ff. h. tit. nu. 14.
Dn. Ortolph. Foman ad l. unic. Cod. si advers. usucap. Dissent.
Accurs. Bart. & Dd. communiter in l. nisi Cod. de bon. matern.
Schneidw. Inst. h. t. de speciebus præscript. nu. 72. Et hoc domi-
nium adeò adjicitur possessori, ut non teneatur illud resti-
tuere, si postea rei alienæ scientia supervenerit, arg. l. 2. ff.
de itin. act. priv. & tutus sit etiam in foro conscientiæ, Schn.
Inst. hic de requisit. Usucap. n. 17. & 18. Dn. Arum. exerc. Justin.
6. tb. 7. nec etiam adversus præscriptionem 30. annorum ulla
detur ex capite ignorantia restitutio in integrum l. ult. C. de
præscript.

prescript. long. temp. l. 4. l. 3. C. de prescript. 30. annor. Fachin. 1. contr. 69. Dn. Ortolph. Foman. ad rubr. C. de his, quæ vi metusvè caus. Rober. disput. Justin. 9. thes. 11. Dn. Arum. exerc. Justin. 6. th. 10. Diss. Wesenb. in parat. ff. hic. n. 14. Geil. 2. observ. 19. Zas. in §. rursus Instit. de act. num. 30. c) quæ liti contestationem impedit, c. exceptionis. de lit. contest. in 6. Wesenb. in parat. ff. hic nu. 14. d) cum tempore liberatus similis sit ei, qui satisfacit, l. 45. ff. de administr. & pericl. tut. Bart. in l. fin. §. 1. ff. rem ratam hab. e) quæ est actus, quò cœptæ usucapionis continuatio interpellatur l. un. C. de acquirend. poss. & in jure modò usurpatio l. 2. l. 5. ff. b. t. modò interruptio dicitur, l. 1. §. 1. l. 2. l. 3. C. de annal. except. Aliud autem est interrumpi, aliud dormire usucapionem. Cum dormit, prius inchoata usucapio non est nullius momenti, sed sublatò impedimento, ut puta impuberi atate, hostilitate & simili, continuatur, & tempus prius cum sequenti conjungitur, Bald. in l. cum notissimi. 7. §. imò. nu. 7. C. de prescript. 30. annor. Ubi verò interrumpitur præscriptio, inchoata usucapio ad nihilum recidit, & rursus de integro est ordiendæ, priori nihil commodante, Wesenb. in parat. ff. hic. nu. 15. f) quâ possessio aliquo naturali factò & re ipsa interrumpitur, ut cum possessori res ab alio mobilis aufertur, immobilis occupatur, l. naturaliter. 5. ff. b. t. g) seu ficta, quæ fit per actum civilem, ut hodiè per citationem & liti contestationem, d. l. cum notissimi. 7. l. 2. C. de annal. except. Nov. 119. c. 7. auth. malefidei. C. de prescript. long. temp. Wesenb. d. loc. Vult. 1. Jurispr. Rom. 71. circ. fin.



COROLLARIA FEUDALIA.

I.

Utrum fœmina à feudi successione semel exclusa perpetuò excludatur, & exclusa maneat? N.

C

Fœminæ

Foeminae per masculos à successione quidem excluduntur, at non à jure succedendi. Siquidem aliud est successio, aliud jus succedendi. Illa enim est facti, haec juris: illa effectus juris succedendi, haec illius causa. Est itaque sensus hujus quaestionis, foeminam cum masculo existentem excludi quidem à masculo à successione, quae facti est, quia masculi regularitèr foeminas excludunt, text. in c. un. de eo, qui sibi vel hered. non verò à jure succedendi, quod est, ut in defectu masculorum succedant, c. un. de feud. foemin. cap. un. de nat. success. feud. Hartm. Pistor. lib. 2. q. 36. Mynf. 5. obser. 74. Rosenthal. c. 7. concl. 97. Vult. i. feud. 9. n. 52. & 53. Schon. i. disp. feud. 7. th. 33. lit. b. Niell. disp. feud. 5. th. 4. lit. c. Diss. per c. un. §. quin etiam. Episc. vel Abbat. Zas. p. 8. n. 58. & seq. Fachin. 7. contr. 45.

II.

An Vasallus feudum non possit oppignorare? A.

c. un. §. fin. de invest. de real. fact. c. un. in pr. de prohib. feud. alien. per Frider. Zas. p. 9. n. 6. Mynf. 6. obl. 30. Rosenthal. c. 9. concl. 15. Vult. i. feud. 10. n. 42. imò nec hypothecare potest, gl. in c. un. de alienat. feud. & in c. un. de

de alien. feud. patern. junct. l. fin. C. de reb. al.
non alienand. *Licet enim pignus ex re, §. fin.*
Inst. quib. mod. re contrah. oblig. & hypothe-
ca nudo pacto l. 1. l. 4. ff. de pignor. & sic ex diver-
sis causis constituentur: sine tamen & effectu con-
veniunt, §. item Serviana. Inst. de Act. Utrumque
enim in securitatem creditoris constituitur, quod in
præjudicium domini fieri nequit, multò minus non
soluti debito distrahi potest, quia feudum deterio-
raretur & alienaretur, quæ duo prohibita esse jure
feudali, constat ex d. c. un. §. è contrario. de
invest. de real. fact. c. un. de Vasall. qui contra
const. Lothar. c. un. in pr. & §. 1. de proh. feud.
alienat. Proinde rem ipsam habere videtur is, qui
actionem in rem habet, l. is qui 15. l. rem in bo-
nis. 51. ff. de acquir. poss. At creditor habet
actionem, quâ persequitur rem hypothecatam, text.
in §. contra. Inst. quib. alien. licet. d. §. item
Serviana. t. t. C. de distract. pignor. Nec obstat,
quod in hypotheca non transferatur dominium vel
possessio, sicut in pignore, l. si rem. 9. §. propriè
2. ff. de pignor. act. Illud namque verum est
quoad constitutionem hypotheca, non verò quoad fi-
nem & effectum, cum hypotheca in casu non soluti
debiti distrahi possit, t. t. C. de distract. pignor.
At constitutiones prohibentes feudi alienationem
ad

ad utrumque respexerunt, d. c. un. in pr. de pro-
hib. feud. alien. pr. Frid. & c. un. de prohibit.
feud. alien. pr. Lothar. E. & *hypotheca prohibita*
erit. Laud. in d. c. un. §. i. n. ii. de prohib. feud.
alien. pr. Frider. Vult. d. loc. nu. 43. Schon. i.
disput. feud. 9. th. 54. Diss. Zas. d. loc. n. 18.
Rosenthal. loc. alleg. eamq; sibi ve-
riorem dicit Borch. c. 8. n. 60.
& seqq.


F I N I S.




(X2618029)

60A







B.I.G.

Farbkarte #13

DISSERTATIO 1617, 14 73.
DE

15
CAPIONIBUS
RÆSCRIPTIO-
NIBUS,

Quam

DUCE DEO

te Ampliſſ. ꝑctorum Ordinis in Illuſtri
Salanâ.

PRÆSIDE

ERICO Wfefferkorn/
Crucisburg. Tyrigeta,

Amice diſputationi ſubjiciet

US SCHUCHARDUS,
Gothanus Tyrigeta.

Ad diem 6. Septembr.



J E N Æ

IS BEITHMANNIANIS,
ANNO clo 1617.

